

sunt adscripti, vel qui adscripti sunt ecclesiae non consecratae, absque ulla speciali commemoratione ecclesiae metropolitanae. Notandum autem est, si missa celebretur in ecclesia non consecrata, omnia verba, quae in secreta missae inter parentheses ponuntur, esse omittenda.

3. Regulares et moniales ad chorum obligatae, tenentur recitare sub ritu dup. 1 cl. cum octava officium titularis et dedicationis propriae suae ecclesiae, seu ecclesiae illius conventus, in quo morantur (1). Dicitur *in quo morantur*, quia regulares translati de uno monasterio ad aliud, remanente vero proprietate prioris loci apud ipsos, recitare non debent officia titularis et dedicationis illius prioris ecclesiae, nec in suffragiis sanctorum addere commemorationem illius sancti titularis; sed tenentur ad titularem et dedicationem ecclesiae illius monasterii, in quo morantur (2).

Regulares autem et moniales, etiam ordinario subjectae, non debent, nec possunt, etiam in die festo, recitare officium titularis et dedicationis ecclesiae non cathedralis, sub cuius parochia versantur, quamvis etiam sit festum devotionis in populo, aut per longum tempus officium recitare consueverint (3).

221. An capellani ecclesiarum, item capellani seu directores religiosorum et monialium possunt et debent recitare officium titularis et dedicationis?

R. 1. Capellani, qui simpliciter obligantur ad missae celebrationem, de iisdem officium recitare nequeunt, nisi aliunde ecclesiae stricte adscripti sint, ut dicitur n. 228 (4).

2. Capellani, quibus cura spiritualis alicujus ecclesiae a legitima et competente auctoritate integre commendatur,

(1) S. R. C. 28 Oct. 1628, n. 625-772, 11; 16 Mart. 1658, n. 1723-1870; 10 Jun. 1710, n. 3684-3833, 1; 18 Sept. 1877, n. 5713, 1.

(2) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 4896-5042, 3.

(3) S. R. C. 2 Aug. 1692, n. 3136-3285; 14 Feb. 1705, n. 3561-3710, 4; 20 Aug. 1706, n. 3600-3749, 4; 12 Sept. 1840, n. 4762-4909, 2.

(4) S. R. C. 11 Maji 1593, n. 48 in supplem.; 5 Oct. 1697, n. 3298-3447; Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. 46.

causa administrandi sacramenta, instruendi populum, officia ecclesiae celebrandi, aut alia peragendi, quae ad curam spirituales pertinent; ad officia titularis et dedicationis obligantur, quia eo casu sunt veri ecclesiae rectores (1).

3. Capellani quarumcumque monialium de praedictis officium recitare nequeunt. Id intelligendum est: 1° de illis qui apud easdem missam solummodo celebrant: 2° de directoribus seu rectoribus hospitalium domuumque religiosorum aut monialium ad chorum non obligatarum, licet etiam ex speciali commissione legitimae auctoritatis non tantum missam ibidem celebrant, sed et munia quaedam parochialia exercent, uti populum instruere, Sacramenta ministrare, etc. quia publica non est, ut supra dictum est, quam administrant ecclesiam: 3° de monialium ad chorum obligatarum rectoribus, qui praeter missae celebrationem, earum confessiones audiunt, iisdem Eucharistiam praebent, caeteraque peragunt, quae parochus ipse faceret; hi in missae celebratione officio monialium sese quidem conformare possunt, ut dictum est tom. I, n. 98, officium tamen de praedictis verosimiliter recitare nec debent nec possunt, quia ecclesia potius privative propria censetur monialibus, quae propterea officium de titulari et dedicatione recitant (2).

222. Ad quid tenetur sacerdos, adscriptus duabus ecclesiis, quoad officium dedicationis et titularis utriusque ecclesiae?

R. Tenetur de utriusque dedicatione et titulari recitare officium sub ritu dup. 1 cl. cum octava (3), nisi alterutra ecclesia sit diruta: quo casu nihil de ecclesia diruta agere potest, nisi titulus transferatur ad altare in ecclesia existente, de quo tunc in ejus die festo officium sub ritu semiduplici fieri debet (4). Casus accidit in parochia, qui alter-

(1) Favet dec. S. R. C. 16 Ap. 1853, n. 5183, 16, quod de alia ecclesia vix est intelligendum; Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. 23.

(2) Vid. Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. 47, et tom. 2, dec. 361, n. 5-8.

(3) S. R. C. 24 Sept. 1842, n. 4803-4949; A Carpo *Kalendarium* c. 2, n. 18.

(4) S. R. C. 28 Oct. 1628, n. 625-772, 4; 5 Jul. 1698, n. 3328-3477, 6; Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. I-XI.

natum nunc in una, nunc in altera ecclesia officia celebrare tenentur; in illo, qui duas parochias regit, licet in una constanter resideat; item in illo, qui præter propriam ecclesiam, alteram habet in deservituram. Notandum tamen: 1° sacerdotem utrique ecclesiæ debere esse adscriptum; officium enim titularis et dedicationis ecclesiæ, cui nullus adscriptus est, recitari nequit ut supra dictum est: et 2° publicum officium et missas cantatas conformari debere ecclesiæ, in qua fiunt, absque respectu ad alteram (1).

Similiter qui duo habet beneficia, de utriusque ecclesiæ titulari et dedicatione officium recitare debet (2).

DE PLURIBUS TITULIS AUT PATRONIS LOCI ET ECCLESIE.

223. Si sint tituli aut patroni æque principales, legitime constituti, de quibus tom. III, n. 122 agetur, de illis ab iisdem eodem ritu officium recitandum est (3) ut numeris præcedentibus dictum est; si autem non sint æque principales, de principali tantum sub ritu dup. 1 cl. cum octava (4).

De secundario seu minus principali titulari aut patrono loci vel ecclesiæ officium sub ritu duplici majori faciendum est juxta tabellam duplicium majorum initio breviarii positam, nisi solitum sit, de illo tantum celebrare sub ritu duplici minori (5); semper tamen sine octava (6). De hoc titulari aut patrono minus principali officium recitare tenentur iidem clerici sæculares, qui tenentur de principali: regulares autem et moniales de secundario patrono loci non

(1) S. R. C. 5 Oct. 1697, n. 3303-3452. Vid. tom. 1, n. 97.

(2) Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. XII-XV.

(3) S. R. C. 15 Feb. 1873, n. 5534.

(4) S. R. C. 26 Mart. 1639, n. 983-1130, et 2 Junii 1685, n. 2940-3089, 4.

(5) S. R. C. 26 Junii 1751, n. 4069-4218.

(6) S. R. C. 26 Mart. 1639, n. 983-1130; 9 Feb. 1675, n. 2570-2722; 2 Jun. 1685, n. 2940-3089, 4.

tenentur (1), nisi aliunde obligentur; et quamvis plures (2) laudabile censeant, si regulares officium patroni minus principalis loci recitent, certum tantum videtur, quod regulares de secundario loci patrono officium recitare nequeant, sive sit festum populi sive non, nisi concessio Apostolica extendatur ad regulares (3).

DE PATRONO SEU TITULARI DIOECESIS, ET DEDICATIONE ECCLESIE CATHEDRALIS.

224. Prænotandum patronum seu titularem diœcesis, civitatis episcopalis, et ecclesiæ cathedralis posse esse eundem, vel etiam duos aut tres diversos. Si plures sint, dubitari potest, an officium de omnibus per diœcesim eodem ritu recitandum sit: considerando varia S. R. C. decreta, id affirmandum videtur; nam decreta infra citata id præscribunt de patrono diœcesis (4), de patrono civitatis episcopalis (5), et de patrono seu titulari ecclesiæ cathedralis (6): quæ decreta sibi invicem non adversantur, et quorum unum alterum non excludit. Præterea in pluribus decretis S. R. C. (7)

(1) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 4896-5042, 1.

(2) Gavantus sect. 3, c. 12, n. 7; Merati ibidem; Lohner p. 1, tit. 6; n. 4; Cavalieri tom. 1, dec. 30, n. 64, et dec. 37, n. 16 et seq.

(3) S. R. C. 20 Mart. 1683, n. 2870-3019, 1, apud Merati sub dato 13 Jun. 1682, n. 125, et clarius ex dec. 10 Jul. 1687, n. 2994-3143, 4 et 5.

(4) 5 Maji 1736, n. 3894-4044, alia dubia ad 1; 5 Mart. 1825, n. 4461-4611, 1, et breve Pii VII ad Episcopos utriusque Siciliæ 15 Oct. 1818, ibidem n. 4402-4552.

(5) 23 Maji 1639, n. 1008-1155, 1; 6 Ap. 1658, n. 1736-1883; 28 Sept. 1658, n. 1786-1933; 4 Sept. 1745, n. 4027-4176, 1; 23 Maji 1846, n. 4896-5042, 2.

(6) 22 Jun. 1630, n. 719-866; 10 Jul. 1687, n. 2994-3143, 1; 23 Mart. 1709, n. 3654-3803; 2 Sept. 1741, n. 3970-4119, 8; 22 Aug. 1772, n. 4211-4360, 5; 9 Maji 1857, n. 5242, 2; 27 Mart. 1859, n. 5277; 30 Jan. 1878, n. 5717.

(7) 20 Mart. 1683, n. 2870-3019, 1; 15 Jul. 1769, n. 4200-4349; 22 Aug. 1772, n. 4211-4360, 3 et 5.

declaratur, officium recitandum esse de proprio patrono principali, de titulari ecclesiae cathedralis, et de protectore civitatis, ita ut patroni diocesis, ecclesiae cathedralis, et civitatis episcopalis distinguantur, et de omnibus officium eodem ritu recitandum praescribi videatur. Quoad proximum tamen dicendum: 1° vel agi de patronis seu titularibus legitime electis et constitutis, et de omnibus si fiat officium, juxta solitum continuari posse, quia in decretis citatis solidum habetur fundamentum; si autem non de omnibus, sed de uno tantum v. g. de patrono diocesis officium fieri soleat, non videri introducendum novum officium nisi cum facultate S. R. C. quia licet praefata decreta praescribere videantur, ut de omnibus officium eodem ritu fiat, illa tamen decreta particularia sunt, et nullo generali decreto nec rubrica praecipitur, ut de omnibus singulatim idem officium recitetur: 2° vel agi de novis patronis seu titularibus eligendis, et in hoc casu cum electio patronorum civitatis et diocesis a S. R. C. approbanda et confirmanda sit, attendendam esse concessionem et extensionem officii a S. R. C. factam (1).

225. Quinam tenentur et quo ritu ad officium patroni seu titularis ecclesiae cathedralis, civitatis episcopalis et diocesis?

R. 1° In civitate episcopali, et illis locis diocesis, in quibus non habetur proprius loci patronus, tenentur clerici saeculares, sive adscripti alicui ecclesiae sive non, sub ritu dup. 1 cl. cum octava; in locis autem, ubi peculiaris patronus regni, provinciae, oppidi aut pagi colitur, nihil de illis fieri potest, nisi officium aliunde eisdem debeatur (2). Si tamen in locis, ubi peculiaris patronus habetur, de patrono diocesis officium recitari soleat; attendenda consuetudine offi-

(1) Vid. *Analecta juris pontificii* 1, sér. fol. 859-870, ubi haec longe pertractantur, et contra *Revue théol.* 1856, fol. 571-579.

(2) S. R. C. 6 Ap. et 28 Sept. 1658, n. 1736 et 1786-1883 et 1933; Breve Pii VII, 15 Oct. 1818, n. 4402-4552; 5 Mart. 1825, n. 4461-4611, 1; 1 Oct. 1828, n. 4493-4642; 12 Aug. 1854, n. 5207. Vid. Gardellini in dec. 4455-4605, 1; Cavalieri tom. 1, dec. 35; 9 Maji 1879, n. 5781.

cium sub duplici majori tantum sine octava, tanquam de patrono minus principali, fieri potest (1); et etiam sub ritu dup. 1, cl. cum octava ex consuetudine (2) Si ex consuetudine contraria in locis, in quibus peculiaris patronus non habetur, nihil de illis fieri soleat, officium sine facultate S. R. C. introducendum esse non videtur, quia illud officium non praecipitur in rubricis neque ullo generali decreto, sed contra in decreto generali (3) declaratur « de titularibus cathedralis » tantum posse recitari officium sub ritu dup. in tota civitate, » et cum octava in cathedrali tantum. »

Si limites diocesis mutentur, partes quae alii diocesi annexae fuerunt, et alium diocesis patronum habuerunt, hunc non amplius celebrare debent, sed solum generalem totius diocesis patronum (4).

Not. quoad officium s. Rumoldi, patroni ecclesiae cathedralis, civitatis et diocesis Mechliniensis, illud a clericis saecularibus ubique per totam diocesim recitandum esse sub ritu dup. 1 cl. cum octava, ex concessionem Apostolicam 20 Jul. 1838, quia Sanctitas Sua proprium diocesanum eo modo, quo in exemplari jacebat, approbavit, atque a clero diocesis Mechl. modo et ordine designatis legi ac recitari posse concessit, contrariis non obstantibus quibuscumque. Cum autem haec concessio ad clerum saecularem tantum extendatur, regulares diocesis Mechl. mox dicendis sese conformare debent.

R. 2° Regulares et moniales totius diocesis sive ordinario subjectae, sive exemptae, sive breviario Romano sive proprio utentes, tenentur sub ritu dup. 1 cl. in ipso die festo, sed sine octava, nisi octava ipsis specialiter sit indulta ex vi concessionis Apostolicae vel propriae constitutionis ab Apostolica Sede approbatae (5). Dicitur *sub ritu dup. 1 cl.* juxta

(1) Dec. cit. 6 Ap. et 28 Sept. 1658.

(2) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 4520-4669, 41.

(3) 28 Oct. 1628, n. 625-772, 2.

(4) S. R. C. 19 Junii 1875, n. 5608.

(5) S. R. C. 20 Mart. 1683, n. 2870-3019, 1; 20 Nov. 1683, n. 2891-3040

decreta citata, sed forte excipiendum est, si regulares ex concessione Apostolica patronum proprii ordinis sub ritu dup. 1 cl. celebrent, in quo casu ad officium patroni diœcesis tantum sub ritu dup. 2 cl. tenentur (1). Item si clerus sæcularis ad officium patroni diœcesis non teneatur, dum peculiarem patronum habet; idem dicendum erit de regularibus et monialibus in locis, ubi peculiaris loci patronus colitur (2).

Hæc in anterioribus hujus operis editionibus; verum post ultimam septimam editionem prodiit S. R. C. decretum 18 Maji 1883, in Marianopolitana, in quo ad dubium I declaratur: decretum generale *Urbis* 28 Octobris 1628, supra citatum, quo firmatum fuerat: « de Titularibus Cathedralis, » tantum posse recitari officium sub ritu duplici in tota » civitate, et cum octava in cathedrali tantum, » fuisse quoad hoc punctum expresse vel æquivalenter abrogatum, et « festum seu officium titularis ecclesiæ cathedralis, ex recentibus decretis, celebrandum esse in tota diœcesi sub ritu » duplici primæ classis cum octava a clero sæculari, a clero » autem regulari sub eodem ritu, sed absque octava. » Item declaratur, quod istud festum, quoad omnes qui de gremio Cathedralis non sunt, recenseri debeat inter secundaria, ita ut tum in occursu, tum in concursu, etiamsi objective sit dignius, primario festo patroni loci, vel titularis ecclesiæ propriæ cedat (3).

226. Quinam tenentur et quo ritu ad officium dedicationis ecclesiæ cathedralis?

R. 1. In Ecclesia universali dedicatio ecclesiæ cathedralis in ipsa ecclesia cathedrali celebranda est sub ritu dup. 1 cl. cum octava, ut dictum est n. 220. Dubitatur autem, quo ritu extra ecclesiam cathedralem a sæcularibus in civitate episco-

6; 10 Jul. 1687, n. 2994-3143, 1; 18 Mart. 1702, n. 3473-3622, 1; 23 Mart. 1709, n. 3654-3803; 5 Maji 1736, n. 3894-4044, alia dubia 1; 22 Aug. 1744, n. 4013-4162; 22 Aug. 1772, n. 4211-4360, 5; 7 Ap. 1832, n. 4537-4686; 7 Ap. 1876, n. 5661, V. Vid. Gardellini in dec. 4465-4605, 3.

(1) S. R. C. 16 Ap. 1842, n. 4795-4941, 8.

(2) Ita Cavalieri tom. 1, dec. 42, n. 2.

(3) *Revue théol.*, tom. XV, fol. 479.

pali et diœcesi celebrari debeat: dicendum videretur sub dup. minori tantum sine octava (1) nisi immemorabilis adsit consuetudo, recitandi officium dedicationis cathedralis in civitate et diœcesi sub dup. majori (2) vel etiam sub dup. 1 cl. (3) aut etiam cum octava in civitate episcopali (4). Attamen S. R. C. (5) decrevit: « teneri universum clerum ad formam rubricarum, » et quidem sub ritu dup. 1 cl., in civitate cum octava, in » diœcesi vero sine octava » (6).

R. 2. Regulares et moniales in ipsa civitate episcopali degentes, tenentur sub ritu dup. 2 cl. sed sine octava (7); degentes autem extra civitatem episcopalem, non tenentur ulla obligatione (8), nisi ex convenientia (9), uti si adsit consuetudo, et quatenus laudabilem illam consuetudinem retinere velint, eo casu sub ritu, quo consueverunt (10); aut si festum dedicationis propriæ ecclesiæ non agatur (11).

R. 3. In toto territorio reipublicæ Gallicanæ, prout erat annis 1802 et 1804, juxta indultum pro reductione festorum 9 Aprilis 1802 et decretum Cardinalis Legati 21 Junii 1804, anniversarium dedicationis ecclesiarum cathedralium et omnium consecratarum, in cunctis Gallicanis ecclesiis celebrandum est in dominica, quæ diem octavam festivitatis omnium Sanctorum proxime sequitur, sub ritu duplici primæ classis cum octava absque ulla speciali commemoratione ecclesiæ cathedralis: ita ut præterea nullum aliud anniversarium dedicationis, sive cathedralis sive alicujus ecclesiæ

(1) S. R. C. 16 Mart. 1658, n. 1722-1869, et 22 Jan. 1689, n. 3032-3181, 1.

(2) S. R. C. 6 Ap. 1658, n. 1736-1883.

(3) S. R. C. 19 Jun. 1700, n. 3416-3565, 1.

(4) S. R. C. 2 Maji 1619, n. 425-572, collatum cum dec. citato 16 Mart. 1658; 28 Sept. 1675, n. 2597-2749, 3; Cavalieri tom. 1, dec. 7.

(5) 19 Sept. 1750, n. 4062-4211. Nullius Sublacen.

(6) Ita etiam Gavantus sect. 8, c. 5, n. 5, et Merati t. 1, p. 1, tit. XI, n. 8.

(7) Dec. gen. 8 Ap. 1662, n. 2012-2159; 16 Jun. 1708, n. 3639-3788, 3.

(8) S. R. C. 10 Jan. 1693, n. 3152-3301, 3; 5 Maji 1736, n. 3894-4044, alia dubia ad 1; 29 Jan. 1752, n. 4074-4223, 1; 31 Aug. 1867, n. 5381, III.

(9) S. R. C. 20 Nov. 1683, n. 2891-3040, 6, et 7 Ap. 1832, n. 4537-4686.

(10) S. R. C. 21 Mart. 1795, n. 4314-4463, 3.

(11) S. R. C. 10 Sept. 1796, n. 4322-4471, 4.

particularis, celebrari debeat aut possit, ut dicitur tom. 3, n. 114. Quod anniversarium eodem ritu celebrandum est, non tantum in ecclesiis consecratis, sed etiam non consecratis (1), et proinde sicut ab adscriptis alicui ecclesiae, sic etiam a non adscriptis.

Regulares et moniales in eodem territorio ad anniversarium dedicationis in dominica post diem octavam Omnium Sanctorum etiam tenentur: 1° quatenus obligantur ad anniversarium dedicationis ecclesiae cathedralis, ut supra dictum est, quae in eadem dominica celebratur: 2° quatenus decernitur in indulto pro reductione festorum et in decreto Cardinalis Legati, in ea dominica celebrandum esse anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum consecratarum in cunctis Gallicanis ecclesiis: 3° quia ita declaravit S. R. Congregatio (2) quoad Carmelitas excalceatos provinciae Aquitaniae in Gallia.

In Archidiecepsi Mechliniensi, ut dictum est n. 220, anniversarium dedicationis ecclesiae Metropolitanæ et omnium ecclesiarum, in dominica post octavam Omnium Sanctorum celebrandum est sub ritu duplici primæ classis cum octava ab omnibus clericis sæcularibus, sive adscriptis alicui ecclesiae sive non, absque ulla commemoratione ecclesiae Metropolitanæ.

DISTINCTIO CLERICORUM QUOAD OFFICIA PARTICULARIA.

227. Qui ad horas canonicas obligantur, distingui possunt: 1° in sæculares et regulares. De his agatur num. 230.

2. Sæculares clerici in beneficiatos, simpliciter adscriptos alicui ecclesiae, et non adscriptos.

3. Beneficiati in obligatos choro, et non obligatos choro.

4. Adscripti in stricte et non stricte adscriptos.

5. Non adscripti in clericos diocesis, ad quam ex sua

(1) S. R. C. 28 Aprilis 1873, n. 5546.

(2) 4 Januari 1877, in Actis s. Sedis vol. XI, fol. 207, III, 1878.

ordinatione vel habitatione pertinent, et in clericos, qui extra suam diocesim vel locum habitationis versantur.

Stricte adscripti sunt, qui alicui ecclesiae adscripti sunt ad Sacramenta ministranda, docendum populum, officia ecclesiae celebranda etc. a legitima et competente auctoritate, cujus est adscribere; qualis auctoritas juxta disciplinam ecclesiasticam in his regionibus vigentem, regulariter tantum est Ordinarius loci: adeo ut vi adscriptionis ipse adscriptus in illa ecclesia officia injuncta peragere debeat, et ipsi liberum non sit, propria voluntate ecclesiam deserere. Tales ergo censendi sunt parochus, viceparochus, deservitor, coadjutor (1), sacrista seu custos alique a legitima auctoritate ecclesiae adscripti, ut in ea Sacramenta quaedam ministrent, aut alias functiones constanter peragant (2).

Non stricte adscripti sunt, qui a competente auctoritate adscripti non sunt, sed sub parochia habitant, in ecclesia celebrant, confessiones excipiunt, aut aliud quodcumque sacrum ministerium exercent. Hi proprie adscripti dici nequeunt, cum nullus seipsum adscribat, et adscriptus nemo esse possit, nisi a competente auctoritate: et sic nunquam comprehenduntur, dum mentio fit de adscriptis, et omnia quæ de adscriptis dicuntur, intelliguntur de stricte adscriptis (3). Sic quum petitum esset "an omnes ecclesiae parochiales, in quibus adest solus parochus, vel vicarius pro servitio parochianorum, sed subjectus parochi in alia ecclesia commoranti, teneantur vel possint celebrare officium et missam de festo titulari ecclesiae... sub ritu 1 cl. et octava": rescripsit et declaravit S. R. C. *Ad officium sancti titularis teneri parochum tantum* (4). Itaque S. R. C. directe non respondendo ad petitionem propositam, dat

(1) S. R. C. 11 Aug. 1877, n. 5708, p. 1, dub. 1.

(2) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 4593-4742, I; 7 Dec. 1844, n. 4839-4985, I; 11 Aug. 1877, n. 5708, p. 1, dub. I-IV; 18 Aug. 1877, n. 5710, III; Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. 20.

(3) Vid. Cavalieri tom. 1, dec. 14.

(4) 23 Maji 1846, n. 4904-5050, 3.

regulam generalem conformiter ad decreta citata, et declarat teneri parochum, viceparochum aliosque similiter ecclesiae servitio strictim addictos; non autem alios, quocumque nomine appellentur, qui a competente auctoritate ecclesiae stricte adscripti non sunt, licet pro commoditate parochianorum eidem inserviant.

228. Quæ officia particularia prædicti clerici recitare possunt et debent?

Prænotandum clericos sæculares teneri recitare officium patroni seu tituli loci et diœcesis, atque dedicationis ecclesiae cathedralis, ut dictum est numeris præcedentibus; et hic tantum agi de patrono seu titulo, et dedicatione ecclesiae non cathedralis, de officio ratione insignis reliquiae, et aliis officiis ex speciali concessione et legitima consuetudine.

R. I. Beneficiati et canonici, choro obligati, tenentur recitare omnia officia ecclesiae, et eodem ritu, quo in choro dicuntur, etiam ubicumque existunt (1).

R. II. Beneficiati, aliquo perpetuo gaudentes beneficio (2) ad chorum non obligati, debent recitare officia patroni seu titularis ecclesiae sui beneficii, dedicationis et insignis reliquiae (3); non autem tenentur, sed recitare possunt officia, quæ in choro dicuntur ex consuetudine et speciali concessione (4). Simples autem capellani, qui tantum adstringuntur ad quotidianam missæ celebrationem, officia particularia titularis, dedicationis, reliquiae, aut alia recitare non possunt (5), nisi ecclesiae stricte adscripti sint, aut aliquo modo ei de gremio inserviant (6).

R. III. Clerici stricte adscripti tenentur ad officium principalis et minus principalis patroni seu titularis ecclesiae, ejusdem dedicationis, atque insignis reliquiae, si de ea reci-

(1) S. R. C. 30 Aug. 1602, n. 21-167, 5; 12 Nov. 1831, n. 4520-4669, 50.

(2) S. R. C. 5 Aug. 1690, n. 3078-3227.

(3) S. R. C. 16 Maji 1744, n. 4007-4156, et 15 Mart. 1774, n. 4225-4374.

(4) S. R. C. 30 Aug. 1602, n. 21-167.

(5) S. R. C. 5 Oct. 1697, n. 3298-3447.

(6) S. R. C. 11 Maji 1593, n. 48 et 62 in supplemento.

tetur officium, item ad officia quæ ex speciali indulto Apostolico vel legitima consuetudine in ecclesia recitari solent, juxta decreta infra citata (1), in quorum ultimo parochus et viceparochus similesque dicuntur servitio ecclesiae stricte adscripti, et supponuntur obligati ad dicta officia recitanda, etiamsi nulla adsit obligatio chori. Ad officia autem clericis choro addictis tantum concessa, non tenentur, nisi ad illos concessio extendatur (2). Ea tamen officia, quæ ecclesiae sine expressa limitatione ad chorum simpliciter conceduntur, recitare possunt (3).

R. IV. Clerici non stricte adscripti, seu non adscripti, nec debent nec possunt recitare officia titularis et dedicationis ecclesiae, aut alia particularia officia ecclesiae, in qua celebrant, alias sacras functiones exercent, aut intra cujus parochiae limites habitant, juxta decreta infra citata (4), in quorum ultimo declaratur, quod prædicti particularia ecclesiae officia recitare non valeant, quia, ut ea recitare possint, *revera esse debent adscripti stricte servitio ecclesiae, uti parochus et viceparochus.*

R. V. Clerici diœcesis, nulli ecclesiae adscripti, non possunt recitare ulla particularia alicujus ecclesiae officia, sed tenentur ad kalendarium diœcesanum, et proinde ad officia particularia, quæ in eodem pro universo clero diœcesis præscribuntur (5).

R. VI. Clericus ad horas canonicas obligatus, qui causa itineris, studii, vel aliis de causis extra patriam, diœcesim vel locum domicilii sui versatur, si sit :

(1) S. R. C. 20 Nov. 1677, n. 2692-2844, 1 et 2; 15 Sept. 1742, n. 3982-4131; 16 Maji 1744, n. 4007-4156; 7 Dec. 1844, n. 4879-4985, I.

(2) S. R. C. 30 Aug. 1602, n. 21-167, et 26 Aug. 1752, n. 4078-4227, 4.

(3) S. R. C. 11 Maji 1593, n. 48, in suppl. et 20 Nov. 1677, n. 2692-2844, 4.

(4) S. R. C. 30 Aug. 1602, n. 21-167; 21 Jul. 1696, n. 3244-3393; 5 Oct. 1697, n. 3298-3447; 15 Sept. 1742, n. 3982-4131; 7 Dec. 1844, n. 4839-4985, 1.

(5) S. R. C. 14 Maji 1672, n. 2434-2586; 15 Maji 1819, n. 4409-4559; Cavalieri tom. 2, dec. 361, n. 12.